



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XXV. Aßignantur aliæ rationes, quibus magis firmatur nostra sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

SECTIO XXV.

*Assignantur alie rationes, quibus
magis firmatur nostra sententia.*

quia Deus potest eundem numero actum peccati reproducere; ergo & idem peccatum divinitus redire. Non placent primò, quia hic non est sermo de reditu physico peccati, de quo jam supra, sed de morali, per solam imputabilitatē actūs prateriti, absque physica illius reproductione. Secundò, quia talis actus à solo Deo reproductus (ut hi Authores ponunt,) non posset nobis imputari ad peccatum, ut intendimus probare; siquidem peccatum est actio libera creaturæ; qualis non esset actus à solo Deo reproductus. Igitur melius.

362. Probatur quartò ex *P. Amico cit. num. 41. & apud illum D. Thom. 3. part. quest. 89. art. 5. ad 1. Aureol. in 4. dist. 22. art. 1.* quia sicut meritum destruitur per peccatum, ita peccatum deletur per gratiam; siquidem non minus iustus definit esse, ac denominari iustus, superveniente peccato; quam peccator definit esse, ac denominari peccator, superveniente gratiā; sed possunt priora merita abolita per peccatum, superveniente gratiā, reviviscere in ratione meriti; ergo etiam, poterunt priora demerita abolita per gratiam, superveniente peccato, reviviscere in ratione demeriti.

363. Dicent primò cum *P. Vasq. tomo 3. in 3. p. q. 89. art. 5. dub. 1. num. 4.* efficacius esse meritum ad destruendum peccatum, quàm peccatum ad destruendum meritum; siquidem meritum destruit peccatum satisfactione condignā; quod autem condignè satisfactum est, non potest amplius iuste exigī: at verò peccatum non destruit meritum destructione condignā, quia non tollit, quin meritum semel in gratiā factum, semper jus habeat ad præmium, licet tale jus impediatur per peccatum, quo sublato, statim redit ad præmium.

364. Sed contra, quia aut possumus loqui de efficacia physica; aut morali: Si primum, cum meritum, sive gratia justificans, & peccatum sint contraria se ad invicem expellentia, non minùs quàm calor, & frigus, non minùs unum expellit aliud, quàm è contra: Si secundum, efficacius est peccatum ad destruendum meritum, quàm è contra; siquidem indignius est peccatum, utpote contra Deum, quàm sit dignum meritum, utpote ab homine; ergo efficacius est peccatum ad destruendum moraliter meritum, quatenùs maiorem ponit indignitatem in subiecto, vi cuius destruitur meritum, quàm ponit dignitatem meritum, vi cuius destruitur peccatum.

365. Dicent secundò, de facto peccatum non tollere, quin meritum semel in gratia factum, iterum redeat per subsequentiē poenitentiam, & semper habeat jus ad præmium; hoc autem non fieri de facto è contra; neque enim de facto meritum justificans ita tollit peccatum, ut hoc iterum redeat, & semper sit dignum poenā æternā; ergo efficacius est meritum justificans ad destruendum peccatum, quàm è contra. Sed contra, quia quod de facto peccatum non tollat, quominùs meritum semel factum in gratia, iterum redeat per subsequentem poenitentiam, & semper habeat jus ad præmium, non provenit ex natura rei, sed ex divina ordinatione, quatenùs Deus ex sua infinita Bonitate, & Misericordia voluit de facto, quod nostra bona opera in gratiā facta solùm mortificarentur per subsequentem peccatum; nostra autem opera mala omnino exstinguerentur per subsequentem poenitentiam, licet potuerit aliter disponere, quod intendimus.

PROBATUR quintò ex eodem *P. Amico cit. num. 44. P. Egid. d. 2. de Poenit. dub. 18. num. 150. & P. Arriaga tomo 8. d. 15. à num. 43.* quia Deus potuit nobis peccata remittere eā conditione, ut de novo peccantibus, redirent priora remissa quoad moralem imputabilitatem: tum quia hac conditione potuit merita mortificare, ut eadem reviviscerent de novo in gratiam redeuntibus, ut diximus: tum etiam, quia remissio peccatorum non solùm dependet ex actu peccatoris, sed etiam ex voluntate Dei remittentis, qui, cum nullus actus peccatoris possit esse condigna satisfactio pro peccato mortali, poterit illud remittere sub conditione, si de cetero non peccaverit; sed si ita remittatur, verè re ipsa deletur per gratiam, & rursus amissa gratiā idem peccatum redibit quoad moralem imputabilitatem; ergo &c.

Probatur minor quoad primam partem, quia gratia, posita retractione peccatoris, destruit peccatum tanquam forma impossibilis, & quoad esse physicum, & quoad esse morale; siquidem & tollit maculam ex parte peccatoris, & extinguit odium ex parte Dei; ergo si Deus remittat peccata, licet sub ea conditione, & gratiam tribuat, verè re ipsa talia peccata manebunt deleta, & remissa. Dicent, talem remissionem, cum sit sub conditione pendente de futuro, verè, & re ipsa non fieri de presenti. Sed contra, quia conditio illa de futuro non suspendit effectum gratiæ de presenti; siquidem cum remissio peccatorum sit effectus formalis inseparabilis à gratia, implicat hanc poni de presenti, & ab ea conditione suspendi de presenti ejus effectum, sive remissionem peccatorum.

Probatur eadem minor quoad secundam partem, quia per talem conditionem non acceptatur poenitentia peccatoris pro peccatis prateritis, si aliud novum commiserit, ergo de novo commissio, redirent praterita remissa. Unde privatio gratiæ de novo inducitur non solùm macularet animam per respectum ad peccatum præsens, sed etiam per respectum ad peccata praterita; & odium Dei, non solùm ferretur in peccatorem propter peccatum præsens, sed etiam propter praterita, per subtractionem ejusdem gratiæ in poenam utriusque peccati.

Probatur sextò, quia peccatum commissum potest intelligi interrupti postea, ita ut nullo modo maculet, donec aliqua conditio nunc de presenti resulet, ut patet in peccato Adami, quod licet fuerit commissum ante millenos annos, toto tamen tempore intermedio usque ad meam conceptionem, me non maculabat; posita tamen meā conceptione, veluti quadam conditione necessariā, & sine quā non, incepit me maculare; ergo ita poterit Deus per poenitentiam alicujus peccati illud remittere, ut suspendat effectum illius dependentem à conditione, quod de novo non ponatur aliud peccatum; eo tamen posito, incipiat anima denominari maculata, non solùm à peccato præsentis, sed etiam à peccato praterito sub illa conditione remisso.

Confirmatur primò, (& ut argumentum magis argeat, ponamus animam divinitus à Deo produci, ut

ut potuit, prius tempore, quam corpori uniretur;) in eo casu verissimum esset dicere de ea anima: Peccavit in Adamo: & tamen antequam uniretur corpori, non esset maculata illo peccato; siquidem originale non contrahitur, nisi per unionem ad corpus ex generatione humana; ergo illo tempore intermedio fuisset solum peccatum illud originale, ita ut nullo modo maculaverit animam illam; sed sicut peccatum Adæ habet vim maculandi singulos ejus posteros, quibus nondum fuit remissum; ita peccatum actum commissum habet vim maculandi peccatorem, donec remittatur; ergo sicut Deus potest suspendere effectum peccati originalis, ne animam maculet, donec ponatur conditio unionis ad corpus; ita poterit suspendere effectum peccati actualis antea commissi, ne animam inficiat, donec ponatur conditio peccati de novo commissi.

571. Confirmatur secundò, quia si Deus annihilaret animam peccatoris, sine dubio desineret esse maculata, Deo offensa, &c. Si verò iterum à Deo reproderetur, ut posset, jam eo ipso inficeretur antiquo illo peccato, & odio à Deo haberetur; ergo potest peccatum semel destructum iterum redire, & imputari.

572. Contra hoc fundamentum fusè agit P. Lugo d. 10. de Penit. sect. 1. à num. 14. eique respondet negando consequentiam à peccato originali ad actuale, & assignat diverfam rationem, quia in originali quà tali, licet supponatur peccatum commissum in Adamo, non tamen supponitur esse peccatum ejus animæ, quousque ea uniatur corpori: at verò in nostro casu supponitur jam illud peccatum esse peccatum hujus hominis; sicque nihil aliud desideratur, ut illum maculet; ergo repugnat peccatum esse commissum ab homine, & non esse perfectè, & absolute condonatum; & tamen ipsum hominem non inficere; licet non repugnet, peccatum esse commissum, & non esse condonatum; & tamen non inficere hunc hominem priusquam intelligatur esse commissum ab ipso.

573. Sed contra, quia de anima adhuc ante unionem ad corpus verum est dicere, quod aliquando peccavit, & quidem simul cum Adamo, neque adhuc est ei peccatum condonatum; ergo verè est in peccato. Et magis urgetur, si ponatur anima illa jam creata, quando jam Adamus peccavit; tunc enim necessariò de illa verum fuit dicere: Peccavit: & si postea maneat aliquandiu ante unionem ad corpus, de illa dici potest: Peccavit, & non est ei condonatum peccatum; hoc autem formalissimè est esse in peccato habituali; atqui Theologi supponunt omnes, originale non contrahi, nisi in ipso peccato generationis; ergo non potuit de illa anima dici, quod jam contraxisset originale, sed quod illud contraheret, posita unionem ad corpus; ergo idem dicendum in nostro casu.

574. Dicent cum eodem P. Lugo num. 22. Primò tunc temporis non potuisse de ea anima dici: Peccavit ante in Adamo: sed primò id debere dici post unionem illius ad corpus. Neque enim repugnat, inquit P. Lugo, ut in moralibus proposito aliqua de tempore præsentis sit vera de præterito, & tamen quod eo ipso tempore præterito non fuerit vera de præsentis. Patet, nam si alicui novo Cardinali, inquit, daret Pontifex antiquitatè perinde, ac si ante viginti annos fuisset creatus, posset de eo dici: Hic moraliter est creatus ante viginti annos: & tamen ante viginti annos non fuit verum de præsentis dicere: Jam Petrus creatur Cardinalis: quia tunc non fuit creatus, & fortasse non esset capax Cardinalatus, quia non esset

baptizatus; ergo &c. Undè juxta hanc doctrinam admittit idem P. Lugo eam animam tempore illo intermedio posse esse unitam, non solum gratiæ habituali, & ab ea reddi sanctam; sed etiam uniri Verbo hypostaticè, ut videre est num. 22. & 24.

575. Sed contra, quia per hanc doctrinam nullo modo satisficit sensui Theologorum, quando dicunt, nos in Adamo peccasse; siquidem in hoc non solum volunt dicere, in nos esse derivatum aliquem effectum ex peccato Adami, sed verè nos in illo peccasse, & quidem duo hæc omninò condistinguunt, nempe in Adamo peccasse, & inde in tempore contraxisse peccatum; nam major pars Doctorum liberat Beatissimam Virginem ab ipso peccato originali, quod alii homines contrahunt in ipso instanti conceptionis; & tamen alii admittunt, & alii negant, Beatissimam virginem in Adamo peccasse, prout diximus in Met. tract. 1. d. 2. à n. 485. sicque supponunt, hoc secundum non esse idem cum primo; alioqui malè negaretur primum, & ab aliquibus concederetur secundum; sed hic Author juxta hanc suam doctrinam nihil aliud docet esse, peccasse in Adamo, quàm contrahere postea peccatum, cum tamen juxta doctrinam ab eodem traditam d. 7. de Incarnat. sect. 3. à n. 26, sit quid diverfum; ergo per proximè traditam doctrinam nullo modo satisficit sensui Theologorum, dum dicunt nos in Adamo peccasse.

576. Probatur minor quoad primam partem, quia quod Cardinali hodie creato, aut professio hodie facta (quo exemplo utitur P. Lugo proximè cit. n. 44.) tribuat Pontifex antiquitatè viginti annorum, nihil aliud penitus est, nec physicè, nec moraliter, quàm eis dare effectus, seu privilegia Cardinalium, & Professorum viginti annorum; sicque implicat in terminis concipere in hoc casu, quod illi tales fuerint facti Cardinales, & Professus æquivalenter ante viginti annos, nisi quatenus hodie illis datur hujusmodi privilegium; nam si hoc non fuisset eis concessum, quomodò de illis possemus cum ullà probabilitate dicere moraliter, seu æquivalenter: Ante viginti annos facti sunt Cardinales, & Professus? ergo juxta traditam doctrinam P. Lugo; peccasse in Adamo, & jam peccare, idem omninò sunt; hoc autem, ut diximus, est contra sensum Theologorum; ergo &c.

577. Notabis hic, mirum quidem esse, quod cum P. Lugo cit. admittat humanitatem illam infallibiliter futuram deinde obnoxiam peccato, & odio Dei, idque omninò independentè ab illius libertate; sicque totum jus ad eam odio habendam, & puniendam sit ex parte Dei; dicat nihilominus eam humanitatem tempore illo intermedio, posse esse sanctam, non solum per gratiam habitalem, sed etiam per Unionem Hypostaticam; & tamen videatur huic Authori difficile, quod in nostro casu homo ille possit esse gratus Deo, & habere Unionem hypostaticam, quando debitum incurrendi novum odium non est certum, & infallibile, sed potius est adæquatè in ejus libertate illud incurrere; sicque incomparabiliter est magis liber, quàm anima illa, de qua ipse P. Lugo admittit posse esse sanctam, & habitualiter, & hypostaticè. Undè:

578. Advertes, certè, si res diligenter consideretur, longè majorem de præsentis arguere indecentiam, & magis decere esse maculatam animam, quod debeat incurrere odium Dei independentè à sua libertate, quàm si non teneatur illud incurrere, nisi casu, quo per novum, & grave peccatum propria libertate commissum, illud incurrat, cum possit non incurrere. Et patet, quia hinc solum sequitur, quod

quod si peccet, sit incursum odium paulò gravius ob peccatum præcedens, quàm alioqui meretur illud novum peccatum, nullo alio præcedente; sed illud majus aut minus per accidens est de præfenti ad excludendam gratiam, & Unionem Hypostaticam; siquidem hæc tam benè ejiciuntur per unum peccatum mortale, quàm per duo; ergo de præfenti, quòd homo debeat odium ut duo sub conditione libera futuri peccati, vel illud debeat ut quatuor sub eadem conditione, non habet specialem oppositionem cum gratiâ, & Unione Hypostaticâ; sed quòd certò illud jam debeat independentè à sua libertate pro crastina die, sine dubio dicit de præfenti majorem indecentiam; ergo si hæc indecentia non repugnat cum gratia, & Unione Hypostatica, ut docet *P. Lugo*; cur debet illa repugnare?

579. Dicent secundò cum eodem *P. Lugo cit. à n. 24.* concedi posse, animam illam etiam ante unionem ad corpus esse verè in peccato habituali; siquidem licet anima illa non sit adhuc unita corpori, est tamen absolutè unienda; & ex hac futuritione accipit de præfenti denominationem actu maculatæ; nam cum hujusmodi effectus non sit physicus, sed moralis, benè potest desumi à futuritione unionis ad corpus; sic enim de facto nos re ipsâ dicimus peccasse in Adamo moraliter, licet tunc non existerimus physicè, quia tunc verum erat dicere, quod essemus concipiendi ex ipsius semine. Sed contra, quia hoc videtur esse contra communem modum loquendi Theologorum dicentium, maculam peccati originalis non contrahi, nisi in ipso instanti conceptionis.

580. Dicent tertio cum eodem *P. Lugo cit. num. 26.* Theologos loqui de facto, quando scilicet animæ non nisi in ipso instanti conceptionis creantur: non autem de his casibus solùm de potentia absoluta possibilibus. Sed contra, quia juxta præsentem doctrinam sequeretur, etiam in priori naturæ, quo anima existit ante unionem ad corpus, posse concedi, illam jam esse maculatam peccato originali; siquidem etiam tunc verum est dicere de futuro: Hæc anima unitur corpori ex semine Adæ.

SECTIO XXVI.

Proponitur nostrum fundamentum, & argumenta contraria dissolvuntur.

581. **P**ROBATUR septimò cum *P. Arriaga cit. num. 32.* Idèò Adversarii dicunt, non posse peccatum iterum redire, cum Deus dicit: *Con dono tibi peccatum, si cras oraveris*; quia tunc de præfenti, neque peccatum est condonatum, neque ira, & inimicitia Dei est deposita, sed hæc erit deponenda, & illud condonatum quando posita fuerit conditio; hæc autem posita, cum Deus absolutè remittat, & iram deponat, non potest etiam de potentia absoluta efficere, quod non condonaverit, & iram, ac inimicitiam deposuerit, cum ejus decreta absoluta sint immutabilia; sed quando Deus dicit, ut potest: *Ego tibi statim de præfenti condono absolutè peccatum: resumam tamen iram, si postea peccaveris*: intelligitur Deum simpliciter, & absolutè de facto condonasse peccatum, & inimicitiam deposuisse, quin ad illam jus habeat, habiturus tamen postea, si forte homo iterum posuerit eam conditionem, nempe novum

peccatum; ergo hoc posito, reviviscit illud antea remissum sub illa conditione quoad moralem impunitabilitatem, ita ut Deus hominem illum odio habeat, & puniat non solùm propter subsequentem peccatum de novo commissum, sed etiam propter peccatum præcedens sub tali conditione remissum.

Confirmatur primò, quia hunc modum condonandi habet Deus de facto ex parte; siquidem licet absolutè, & omninò irrevocabiliter peccatū præcedens condonet, iram tamen, & odium non deponit omninò absolutè, & in perpetuum neq; nos in suam amicitiam absolutè, & in perpetuum recipit, sed semper sub hac conditione: *Nisi postea novum peccatum mortale commiserimus*; ergo sicut homo absolutè de facto est justus, & amicus Dei, licet sit verum, quod cadet ab hoc statu, si postea peccaverit; ita etiam poterit esse absolutè de facto liber à peccato præcedenti, licet verum sit, quod si iterum novum commiserit, erit debitor, non solùm pro novo commissio, sed etiam pro antiquo sub ea conditione remisso.

Confirmatur secundò ab exemplo, quia si Pontifex potens relaxare votum, dicat: *Ego tibi votum relaxo de præfenti, ut non amplius tenearis orare, nisi postea feceris juramentum de eadem oratione; datâ enim eâ conditione, volo, ut redeat obligatio, quam nunc habes ratione voti*: in tali casu, quamdiu homo se rursus non obligat per juramentum, manet absolutè liber ab obligatione utriusque; si tamen juramentum faciat, manet dupliciter obligatus, & ratione juramenti de novo facti, & voti antecedenter emissi, ut nullus negabit; ergo si hoc modo peccata à Deo condonentur, ut possunt, clarè intelligitur, quo pacto possint esse absolutè remissa de præfenti, & tamen iterum redire per subsequentem peccatum.

Dicent, Deum non posse tali modo peccata condonare. Sed contra, quia cum Deus sit perfectus Dominus juris ex peccato resultantis, in ipsius potestate est, aut illud in perpetuum retinere, aut in perpetuum condonare sine ulla conditione, vel onere; ergo etiam potest media via incedere, & illud condonare sub eâ conditione, donator enim, seu condonator (hæc enim duo sunt idem pro præfenti,) potest apponere condiciones, quas velit, dummodò sint honestæ. Accedit, quod Deus homini, quem poterat in perpetuum habere pro inimico, maximam gratiam confert, si eum ita ab eâ inimicitia liberet, ut, nisi ipse homo ex sua malitiâ secundò peccet, non possit reddi inimicus; tam liber enim est jam à peccato, quàm si nunquam antea peccasset; ergo &c.

Argues 1. pro *Sor. Richard. Paludan. P. Henric. P. Soar. P. Vasq. P. Tanner. P. Lugo, P. Turrian. P. Hurr.* & aliis supra cit. num. 549. Si peccatum remittitur tantùm sub conditione, non remittitur absolutè, nec poterit dici peccatum illud ablatum, nec homo mundatus, & purificatus ab illo; siquidem condonare est radicitus evellere offensam; ergo si manet alta mente repositum peccatum præteritum, & radix querelæ, non est condonata offensâ; cum non sit reducta ad statum antiquum, quandoquidem Deus conservat, & adhuc sibi reservat jus querelæ, & offensæ. Neque dicas, interim dum homo non peccat, eum odio non haberi. Non, inquam, hoc dicas; siquidem licet tunc non odio habeatur, manet tamen jus in Deo, ut possit illum odio habere; nam qui aliquid debet sub conditione, absolutè debet; & per illud jus Dei impeditur, quominus homo ille sit justus, & pius ab omni labe; ac proinde quominus possit esse sanctus per gratiam habitalem, utpote cum qua repugnat illud